

Handwritten numbers and symbols on the right edge of the page, including '2.', '3.', and '1.'.



1698.

1. Geisweidt, Joh. Ludovicus: De petitione renovationis investiturae feudi. 2 Sampl.
2. Korb, Johannes Jacobus: De obligatione parentum erga liberos [pag. 65-80 desunt.]

1699.

1. Jahn, Nicolaus, 4: De emphasi verbali
" interim 4.
2. Muellhausen, Joh. George: De conditione juris sponsalibus adjecta
3. Farnschifforus, Otto Philippus: De iuribus actionis praesudicialis utilitate

1700
14. 6 Greddeus, Johannes: De supremo iurisdictionis dominio. 2 Sampl.

2. Hück, Otto Fridericus: Theses miscellaneae theoretico-practicae.
3. Seiler, Christ. Gumpertus: Privilegia quaedam pariter qui in utero est et casus, in quibus pro fem nato habetur. Rei. 1725.

1700

4. Farnsdorffius, Otto Philippus: De revocatione
donationum ex l. 8 et. fin. C. de rev. donation.

1701.

1. Guers, Franciscus Albertus: De iure boni domus
sive emphyteutae in fundo emphyteutico, quique
finiendi modis

2. Heprich, Conradus: De inventario in genere.

3. Schomburg, Didericus: De confusione obligationum

1704

1. Gantler, Otto Hubold: De summa appellabili
ducta § 4 Inst. de. 112 et. seq. 2. i. n. de amos

1654

2. Prick, Fridericus: De potestate prescriptiva
circa testamenta privata

3. Waldmannus, Joh. Wilhelmus: De receptione do.
minis ejusque efficacia

4. Gravias, Augustinus: An et quatenus a contractu
emphyteutis venditionis, data artha, resiliere liceat?

1704

5. Zamschifferus, Otto Philippus: De vulgari substi-
tutione

1706.

1. Raesfeld, Johannes: De pactis ipsam rem affectantibus

2. Schipper, Jacob Albert: De protestationibus judicialibus

3. van der Velde, Cornelius: De in et subinfeudatione
domaniorum principum Germaniae licita vel illicita
ita...


1707.

1. Brandt, Johann Jacobus: De prescriptione
feudali... 25 exempl. 1707-1713.

2. Pagenstecher, Joh. Fridr. Wilhelm: De jure sanctuariorum

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]





F. L. Geisweidt de petitione renovat. investiturae

...



Pub. 1700

DISSERTATIO
De
SUPREMO JURISDI-
CTIONIS DOMINIO,
SPECIMINIS STUDIORUM
SUORUM ERGO
CONSCRIPTA
ET

*1700, 1 a
7 //*

P. 69

Auxiliante DEO
PRÆSIDE
DN. JOHANNNE
GOEDDÆO, IC^{to},
Professore Juris Canonici, & Iudicii Au-
lici Assessore, Fautore suo plurimum
colendo,
Publico scrutinio exposita

A
CAROLO GUILLIELMO
de MEYSENBOUGK,
Equite Hassiaco.



Ad D. Octobr. 1700. H. L. S.
MARBURGI CATTORUM,
Typis hæred. JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Academiae Typogr.



DISSERTATIO

SUPER

CTIONIS DOMINIO

SPECIMINIS STUDIORUM

IN

CONSCRIPTA

ET

AVTHORE DEO

PER

DN. JOHANNEM

GOEDDARDUM

Professore Juris Canonici, & Juridici Au

thoritatis, hujusmodi

colando

Publico Juris Canonici

A

CAROLO GUILIELMO

DE MEYSENBOURG

Equite Hallensi

M. D. C. C. C. C. C.

MDCCCXXXIII

Typographi Johanni Küsteri & Typog.



SERENISSIMUM
atque AVGVSTISSIMVM
PRINCIPEM ac DOMINUM
DOMINUM
CAROLUM I.
D.G. HASSIÆ LAND-
GRAVIVM, PRINCIPEM HERS-
FELDIÆ, COMITEM CATTI-
MELIBOCI, DECIÆ, ZIEGEN-
HAINÆ, NIDDÆ ET
SCHAVMBVRGI, &c. &c.

*Principem ac Dominum suum
Clementissimum.*

DISSERTATIONE. HACCE. CEU. ANIMI. SUI.
SUBJECTISSIMO. STUDIO. DEVOTI. TESSERA.
ET. UT. PERPETUA. AUGUSTISSIMA. CLE-
MENTIA. IN. SE. DERIVETUR. ANNEXO.
NUNQUAM. INTERMORITURÆ. PROSPERI-
TATIS. ET. GLORIÆ. VOTO. HUMILLIME.
ADORAT,

*Servus Solduriorum lege
devotissimus*

CAROLUS GUILIELMUS de MEYSENBOUGK.

INTRODUCTIO.



Uod multorum ingenia
 haftenus exercuit, publico
 nunc experimento, fisti-
 mus problema, dignissi-
 mum sane, cujus veri fon-
 tes, ex omni jure depro-
 mantur, exacta cum æqui-
 tate consonantia, investigetur & in aprium
 producat, selectiora ejus capita succinctè
 ac nervosè adumbrentur, & quod palmarium
 est, convenienti dichotomiâ, hoc ipsum, &
 reliqua Majestatis jura, sepositâ istorum com-
 mixtione, subinde occurrente, secernantur.
 Idquè tantò magis, quo non pauci in verita-
 tem & splendorem, excelsi hujus domini de-
 bachati sint, alii diversimodè de eo statue-
 rint, & rursus nonnulli, politicè magis, quàm
 juridicè dispectionem ejus adornaverint, uti
 diversæ commentationes, luculentum hujus
 rei præbent testimonium. Nulli equidem
 dubitamus, Candidum Lectorem, conatus
 nostros, quales quales, æquanimitate suâ æsti-
 maturum esse, & sicut de hac haudquaquam
 diffidimus, ita eidem etiam animum no-
 strum, enixâ contentione, approbamus.

A

THESIS

UI.
 RA.
 LE.
 XO.
 ERI.
 ME.

GK.

2
THESIS I.

Cui compe-
tat jurisdic-
tio Roma-
na?



Utam Jurisdictionis Romanæ ideam, non nisi *administratoriam* esse, eamque totis magistrati-
bus *formaliter*, Majestati verò *virtualiter & radica-*
liter competere, communiter ferè persuasum
est Sutholt. *de jurisdic. aph.* 187. & *seqq.* Hahn. *ad Vvesenb.*
eod. tit. n. 9. princ. Nec minùs eam speciem, quæ in diri-
gendis subditorum aliorumve bonis consistit, & nunc *domi-*
minium Jurisdictionis, nunc *supereminens*, nunc *Imperium*
vocatur, ad Magnates, non *formaliter*, sed *eminenter* sal-
tem spectare, nonnullorum opinione invaluit Bechmann.
Comm. ad A. B. tit. 16. n. 53.

Et domini-
um juris di-
ctionis?

II.

An majestati
formaliter?

Ut verò *illam* in apricum producere, instituti nostri
metas excedat, attamen in transitu saltem monuisse
sufficiat, sententiam illam, non tam *absolutè*, quàm *relatè*
potius, & respectu habito ad magistratus Romanos, qui ju-
re suo, h. e. vi delati muneris, jurisdictioni præerant, hoc-
que conceptu propriè & formaliter, eam exercere diceban-
tur, intelligendam esse *l. more majorum. §. de jurisdic.* Quo
sensu etiam illud Pomponii *in l. necessarium. 2. §. 13. de O. I.*
de magistratibus, quod propriè in Civitate jura regant,
rectè accipit Scipio Gentilis *tract. de jurisd. lib. 2. cap. 1.*
Alioquin *si per se & simpliciter* jurisdictionem considere-
mus, nil impedit, imò verò necesse est dicere, quod et-
iam in Imperante *formaliter & per modum essendi* resideat,
cum aliàs *principium constitutum* esse non possit, cujus
subsidio vis & efficacia ejusdem, aliis pateat & *commu-*
nicetur.

III.

III.

Necessitas hujus *communicationis*, tantò magis conspicua redditur, quò partes jurisdictionis *in jure reddendo* positæ, & saluberrimam constitutionem atque auctoritatem Judiciorum respiciunt, evidenti utique indicio, jurisdictionem hanc *ordinarium* esse modum, quo omne illud, quod ambitu supremæ potestatis concluditur, ejusque imperio subiectum est, ita regitur ut causarum quarumlibet occurrentium determinatio, ab illis, qui reddendo juri præpositi, expectanda, supremæ verò ac independenti censuræ, si non nunquam opus sit, subjicienda veniat *l. jus dicentis. i. de jurisd. l. necessarium 2. §. 16. de O. I.* nisi fortè aliud privilegio specialiter indulto, cautum fuerit *l. unic. §. 1. de offic. Præf. Prætor:*

In quo illa consistat?

IV.

Quam longè *hac*, à præsentis *jurisdictionis* specie, sane sublimissima, abeat, nemo non, nullo negotio apprehendit. Etenim non *in jure reddendo*, & causarum obviam decisionibus verùm potiùs in excelsa & eminenti potestate, de bonis subditorum, nec non aliorum, in regno vel territorio existentium, disponendi, eaque pre necessitatis & utilitatis publicæ exigentiâ, ad usum publicum dirigendi, simul etiam de personis totove patrimonio statuendi, sese conspicuam reddit. Eaque de causa, ob supremi fastigii characterem, quem repræsentat, communicationis non tantummodò expers est, verùm etiam *extraordinarium* levandæ necessitatis & promovendæ utilitatis remedium, constituit Becmann. *Parall. Politic. cap. 21. th. 1.*

Quomodo à Dominio jurisdictionis differat?

V.

Cur domini-
um hoc sit
jus extraor-
dinarium?

EXtraordinarium dum dicimus, modum à potestate ipsa distinctum volumus. Hæc enim sicut supremo culmini, individuo nexu cohæret, idque semper & quocumque tempore concomitatur, ita etiam hujus *præeminentia splendorem* includit, nulloque modo ab eo separari potest. Ast verò *modus* tempestivitatis & applicationis limites concernit, & cum laxamento legum publicarum conjunctus est. Cum enim aliàs regulariter & ordinariè, nemo invitus emere vel distrahere cogatur *l. invitum. II. C. de contrab. empt.* necessitatis & utilitatis publicæ præsidia efficiunt, ut emptio & venditio subjectis imponi possit. *S. ult. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* Franciscus, de Amaya, & Bruunemann. *ad dict. l. II.*

VI.

An necessitas
jus faciat?

Equidem Modestini elogio, necessitatem non minus, quàm consensum & consuetudinem, jus facere, comperitum *ex l. ergo. 40. de legib.* Quod quàm variè accipiatur, vel ex iis luculentum redditur, quæ *in comment. ibidem*, ex aliis novissimè congeffit Feltman. *n. 1. & 2.* Exactiores esse volunt, qui causam *remotam à proxima* secernunt, consensum ac consuetudinem ad *hanc*, ad *illam* verò necessitatem referentes. Idque ad exemplum loci paralleli *in l. obligamur. 52. princ. de O. & A.* ubi idem Modestinus inter alios obligandi modos, etiam necessitatem expressit. Quicquid sit, alludit Jctus, non tam ad ea, quæ ob necessitatem noviter constituuntur, quam potius ad illa, quæ jam constituta, ex necessitate temperamentum atque moderationem accipiunt, eoque modo *singularis juris* ideam atque speciem inducunt, uti vel præsens meletema evidenter comprobatur.

VII.



VII.

Sane enim sicut necessitas legum vincula dirumpit *cap. consilium. 2. in fine. de observ. jejun. can. non debet. 8. princ. X. de consangu. & affin.* solennitates juris remittit, *l. cum antiquitas. 28. princ. C. de testam.* multa privilegia & prerogativas largitur *auth. hoc nisi. C. de solut. l. si libertus. 27. de oper. libert. l. is qui. 25. C. ad L. Cornel. de sicar.* extensivæ interpretationi locum relinquit *l. si fidejussor. 27. C. de fidej.* & universæ naturæ prævalet, Tiraquell. *de pæn. temper. caus. 33. n. 5.* uti hæc & similia Brocardica, præter alios retulit & firmavit Manz. *in tract. special. in Jur. comm. voc. necessitas*, eleganter etiam varias necessitatis species expressit, earumque applicationem demonstravit, Matth. Wesenb. Jun. *cynosura lyturgica de subsid. necessit. publ. ferend. conclus. 2. n. 1. & seqq.* Sicut etiam publicæ utilitatis intuitu, multa singularia admittuntur *arg. l. ita vulneratus. 51. §. 2. vers. multa. ad L. aquil.* stricta ratio insuper habetur *l. sunt personæ. 43. de relig.* & in universum, utilitas publica præferenda privatæ, vel speciali utilitati *l. 2. utilitas. 3. C. de primip. cap. 18. licet 18. circ. fin. X. de regular.* ita mirum non est, cur ob duo hæc fortissima & invincibilia laxamenta & sustentacula, excelsum hoc Magnatum præsidium, natales acceperit, & huc usque privatis usibus, mensuram atque moderationem posuerit.

Quid necessitas ac utilitas publica operetur?

VIII.

Quo nomine indigetur, nihil utique refert. *Dominii eminentis* appellationem, omnibus nunc familiarem, olim tamen inauditam, & à Grotio primùm introductam esse, tradit Cyriacus Lentulus, de republica literaria optimè

A 3 meritis,

Cur dominii um jurisdictionis vocetur?

meritus, *dubio. 26. pag. 70.* qua de re videri potest *Bechmann. medit. polit. cap. 21. §. 1.* Aliis *Imperii* vox ceu aptior, magis placet, ut notat *Illust. Dn. Stryck. diff. de salut. publ. cap. 4. n. 42.* à quorum tamen sententia ibidem non immeritò recedit. Nobis in fronte, *dominium Iurisdictionis* insignire, commodius visum est. Cum enim Imperantes vigore supremæ, quam habent, *Jurisdictionis*, regnis asque territoriis suis præsent & omnia ad bonum commune dirigant, eaque *Jurisdictionis* nonnunquam etiam requirat, ut patrimonio & personis suis, omnes in territorio deprehensi, necessitatibus & utilitatibus publicis mederi teneantur, hocq; modo mutatio dominiorum necessaria reddatur, ita ut quicquid hoc nomine Imperantes agunt, *singularem domini cujuscumque speciem* arguat, eamque *in Ipsis* residere, planum atque evidens efficiatur, cum è contra terminus *Eminentia* tanquam generalis, ad jura æquè ordinaria & extraordinaria applicari possit, hinc rubrum eo modo adornare & disponere placuit, idque ad exemplum *Molinæ de 1. & 1. tract. 2. disp. 3. n. 10.* *Cardinal. Tusch. pract. concl. tit. D. concl. 599. n. 2.* *Bechmann. ad A. B. dict. loc. n. 53.*

IX.

Quid illi
obstet?

O Bicem protritum censetur ponere porisma, quod duo unius ejusdemque rei non possint esse domini. *l. si ut certo loco. §. ult. commod.* Appositione *Iurisdictionis*, nodum solvi & distinctionem servandam esse, inter *dominium proprietatis, & jurisdictionis*, ut illud quidem *privatis*, hoc vero *superioribus* rectè adscribatur, si dicas, forte non erraveris. Ast vel ipsa domini substantia diversitatem membrorum, dubiam reddere videtur. Dum enim superioribus, terminus *dominii* tribuitur, Ipsis etiam proprietatem, utpote in
qua

qua ejusdem substantia consistit, tribui est necesse, cum res extra substantiam consistere non possit *l. Iulianus. 9. §. 3. ad exhib. l. cum precario. 12. de precar. cap. tua nos. 26. X. de sponsal. & nomen rei, conveniens atque consequens esse debeat. §. 5. Inst. quib. mod. testam. infirm. §. 3. Inst. de donat.* Neque jurisdictio eidem apposita, *objective*, sed magis *causative* accipi censetur, ut supremum illud jus, ex universali jurisdictione, Magnatibus competente, descendere indicetur. Ad hæc virtus domini, & personas & bona ita afficit, ut de iis superior plenè disponere, & circa eorum alienationem vel acquisitionem, valide statuere possit, alienationem autem effectum domini esse in propatulo est *l. ult. C. de reb. alien. non alien. l. si estimata. 1. C. de fund. dotal.*

X.

Tentari posset, annon duplex illa consideratio exinde salvetur, quod aliud sit *proprietatem*, aliud *jurisdictionem* habere, cum per *hanc* non fiat alienatio, sed saltem, ut à subdito tanquam vero domino in actum deducatur, præcipiatur. *Becmann. med. polit. cap. 21. th. 6. sub fin.* Idque evidentius inde reddi videtur, quod jussu superioris, res abundantes, veluti frumenta, indigentibus vendi debeant, quo casu Princeps ad ipsam alienationem, præter ipsum præceptum, nil contribuit. Neque aliter sese res habet, quando in poenam nimiae crudelitatis servi bonis conditionibus vendi jubentur *§. ult. Inst. de his qui sui l. alien. jur. sunt.*

An diversa
sint dominiū
proprietatis
& jurisdicti-
onis?

XI.

Atamen ex hisce non efficies, quod præsens *jurisdictio* à *proprietatis* caractere, prorsus sit abstracta, tum quod alienatio etiam in alium, quàm Principem facta, non fiat auctori-

Unde distin-
ctio hæc dis-
putetur?



thoritate alienantis, verum Principis, actus autem non tribuatur exequenti, verum potius jubenti & ordinanti *l. item eorum. 6. §. 1. quod cuiusque univ. nom.* Cardinal Tusch: *lit. A. concl: 144.* tum quod Principes ob evidentem reip: utilitatem ac necessitatem, suprema illa potestate utatur Vasquius *Illustr. controuv: cap: 5.* ast vero istis casibus, dominium privatis competens, prorsus quiescere censetur. *l. quo naufragium 3. §. 7. de incend. ruin. naufrag. l. si quis fumo. 49. ad L. aquil. l. navis. 4. ad L. Rhod. de jaet: l. sancimus nemini. 21. prop. med. C. de S.S. Eccles. cau. placuit. 51. caus. 12. quest. 2. l. 1. & 2. C. de patrib. qui filios distrax. cap. placuit. 1. X. de emt: vend.* tum denique quod Principi plenum Imperium in personas subditorum competat, & proinde etiam in bona eorum dominium competere debeat, cum principale ad se trahat accessorium, ut ita argumentatur Dn. Stryck. *dict. diss. cap. 2. n. 42.*

XII.

Quomodo
salvetur?

PRO re tandem extricanda, dicendum, retineri quidem posse, *allatam distinctionem*, attamen cum grano. salis intelligendam esse, ut nempe dominio jurisdictionis quidem proprietas etiam insit, attamen, quia illud non nisi in casu emergentis urgentis necessitatis & utilitatis revera publicae, unde salus reip. dependet, exercetur, dominium proprietatis privatis competens, tanquam libera facultas, *ordinarie & quocumque tempore ad hos spectet, extra ordinem vero & dictis casibus* dominio jurisdictionis subordinetur, ab eoque justam determinationem atque dispositionem sortiatur. Quibus consona fere, quae tradidit Becmann: *med. polit. cap. 21. th. 6.* dum ita scripsit: *duos dominos absolutos, & qui aequa libertate ac in solidum de eadem re disponere possunt, regulam concedi, de subordinatis, quales Deus & homines, Principes & subditi,*

subditi, negari. His consequens est, quod hocce dominium ad Imperantes non tantum *eminenter*, uti tactum *th I.* verum etiam *formaliter*, ob dictam proprietatis coherentiam, pertineat.

XIII.

Definiri potest dominium jurisdictionis, *jus singulare & extraordinarium, omnium in republica viventium, personarum & bonarum afficiens, ut quilibet superior in casu exigentis necessitatis, & utilitatis publicae, de iisdem, sub conditione justae retributionis, statuendi & disponendi, liberam facultate potatur.* Dispersi posset, tum in *principale & consecutivum*, ut illud sit, quod in subditos homagii vinculo domino abdictos, hoc verò etiam in alios, in regno, territorio sive republica viventes aut deprehensos, competat, tum in *absolutum & limitatum*, quorum hoc in retributione pro qualitate & quantitate rei faciendae, consistit, illud verò istiusmodi conditioni, ob circumstantiarum concurrentium diversitatem, subjectum haud est.

Quomodo definiatur?

Et dividatur?

XIV.

Tam luculenta autem in omni jure vestigia, *dominii hujus apparent*, ut de autoritate ejus dubitare velle, non immerito pro piaculo habendum sit, quicquid etiam nonnullis obstrepere, multisque modis eam fugillare, audacter magis, quam feliciter arrideat. Et quidem, quod *jus naturae* attinet, exploratum est, nemini jus suum auferendum. *S. ult. Inst. de his, qui sui l. alien. jur. sunt.* quin potius integrum & imperturbatum relinquendum, *Mevius prodrom. Jurispr. commun. inspect. 4. th. 6.* Ast vero necessitas, quae naturam vincit, ante rationem est, & in se ac simpliciter *injustum*

An jure naturae?

B

justum



justum, jussi titulo munit, quin imò ipsam pietatem superat, eâque magis privilegiata est, uti cum citatis concludit Mevius *d. tract. in sp. 7. th. 10.* Unde in *thesi* quidem suum relinquendum, in *hypothesi* verò, usibus publicis applicandum, quia tum suum esse desinit. Nec est, quòd pro necessitate ac utilitate publica sublevanda, omnium civium collatione opus sit, & unus præ altero onerari non debeat, sæpissime enim ita comparatum est, ut subitaneus necessitatis casus, collectionem à singulis faciendam expectare haud possit, vel etiam ab uno aut altero res ejusmodi possideatur, quæ in individuo usibus reip. mancipari debeat, & proinde satis sit, si quilibet pro rata dispendium illud resarciat. *arg. l. 1. & 2. ad L. Rhod. de jact.* Puffendorff. *de I. N. & G. lib. 8. cap. 5. §. 7.*

XV.

Argentū ? **D**E *jure gentium* res paulò minorem habet dubitationem. Hoc enim, uti varias species non assumit, sed tanquam univocum, ipsi necessitati suffragatur, eamque pro fundamento præsupponit §. 2. *Inst. de I. N. G. & C.* ita etiam huic dominio obstetricantem manum porrigit, & ejus beneficio, quicquid rerum publicarum & gentium conservacioni conducit, sepositâ privatorum utilitate, exequitur. Verum quidem, quod *necessitas omnium gentium communis*, jus illud stabiliverit, & exinde dominia orta, variaque negotia alia secuta fuerint, uti videre est, *ex l. ex hoc jure gentium 5. de I. & I.* Attamen hæc omnia, communi necessitate suffulta, aliâ & quasi contrariâ necessitate, quæ & ipsa tamen juris gentium est, moderationem accipiunt, ut in particulari; huic vel illi reip. ejusque Imperanti consulatur, simul etiam salustum publica, tum omnium sollicitè procuretur. Sic enim cum

cum ob Protoplastorum lapsum, universi generis humani propago quasi collapsa sit, divinæ voluntatis repetitione decalogi scilicet promulgatione, divina sapientia, summa pro misericordia perversam licet humanam naturam dignata est; & tamen nihilominus ob particularem necessitatem, in hac, vel illa rep. occurrentem, præceptorum divinorum inibi præscriptorum, limitationem, uti omnibus temporibus, ita etiamnum hodie, non respuit, quin potius justum quoddam temperamentum admittit.

XVI.

Characterem hujus domini in §. ult. *Inst. de his qui sui alien. jur. sunt*, latere, non saltem subinde tetigimus, & nominatim quoque in *thes. 10.* verum etiam ex ejusdem contextu plusquam manifestum redditur. Ne enim servi jam tum miserrimæ conditionis, intolerabili dominorum servitiæ & injuriæ, quam Prætor extraordinem coercere, & contra eam servis succurrere promittit *l. idem apud labeonum. 15. §. 34. l. si quis. 35. de injur. l. nec servis. 2. C. eod.* semper expositi mancant, & tandem in desperationem, incidere compellantur, alienatio eorum irrevocabiliter, & explorato prorsus retrovenditionis pacto, fieri jubetur, cum in his, quæ humanitatem naturalem attingunt, pro nullis haudquaquam reputentur *l. quod attinet. 32. de R. I.* Expedi- rum quidem alioquin, quod iis, quæ quis possidet, ab uti liceat *l. sed & si lege. 25. §. II. de hered. petit.* Verum id ad ab- usum rerum restringendum, vel minimè autem ad abusum personarum extendendum, ut bene Commentatores ad *lau- dat. §. ult.* animadvertunt; Et vel hinc saltem evincitur *Jus Civile* cum præmissis jurium speciebus exactè concordare, & coincidere. Possemus longè plura ex hujus juris po-
B 2
moeris

moeris in vim probandi adducere, sed quia nonnulla huc pertinentia infra quoque, ubi de casibus huic dominio suppositis agitur, commemoranda sunt, agendum agere nolumus. Illud saltem cum Brunnemanno & Dn. Stryckio dict. diss. de salut. publ. cap. 2. n. 44. monemus, quod rescriptum l. ult. C. de quadrien. prescript. pro stabiliendo hoc dominio, nullatenus faciat, eò quod non agat de bonis subditorum, tanquam illius habile objectum constituentibus, verum potius de iis, quæ ad patrimonium & fiscum Principis solummodo pertinent.

XVII.

An. Canonico.
eo?

Quod rigidum necessitatis simulachrum, etiam in Ecclesiastica penetret, ipsumque etiam *Ius Canonicum*, circa hæc occupatum, eius fimbrias dilatet, multa loca sufficienter comprobant. Equidem jam non de quavis necessitate, cuius tamen vestigia ubi vis satis obvia existunt, dicemus, rigor enim obedientiæ ob necessitatem sistitur cap. consilium. 2. X. de observ. jejun. ornamenta Ecclesiæ, laicis impune oppignorantur cap. nullus. 1. X. de pign. de prædatione militum ob victum excusatur cap. placuit. 1. ubi Canonista. X. de empt. vendit. comparitio Clerico imposita, impune remittitur can. placuit. 10. dist. 18. excommunicatio mercatoribus, in servis excommunicatorum, haud quaquam obest cap. si verè. 34. cap. inter alia. 31. de sentent. excommun. §. 22. tit. eod. Instit. Lancelotti. & multa ob necessitatem conceduntur, in argumentum nequaquam trahenda cap. in argumentum. 78. de R. I. in 6to. Tangemus saltem necessitatis caput præsentis problemati subserviens, inque eius firmamentum addicimus, quod res Ecclesiasticæ, ab Episcopo, etiam ignorante concilio, possint alienari can. placuit

cuit. 51. caus. 12. quest. 2. quodque cum olim nuptiæ ad septimum usq; gradum fuerint prohibitæ, & quidem à Julio Papa, *can. nullum. 7. caus. 35. quest. 2. & can. ad sedem. 2. dict. caus. 35. quest. 5.* Innocentius Pontifex, prohibitionem illam intra quartum gradum coarctaverit, additâ eleganti ratione, quod statuta ob varietatem temporum, cum primis urgente necessitate, vel evidenti utilitate, mutari expediat, quia etiam Deus ipse ex his, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla in novo mutaverit, *cap. non debet. 8. extra de consang. & affin.*

XVIII.

NEC jus feudale celsitudinem hujus juris, susque de qua An Feudali? habet. Quamvis enim Dominus vasallum, utpote ad servitia duntaxat obstrictum, non possit contributionibus onerare, eò quod subditis saltè ejusmodi onera imponantur, alia tamen est ratio, si extrema necessitas, collectarum impositionem efflagitet. *Carpzov. lib. 4. respons. 7.* Quò & pertinent collectæ Turcicæ, ab omnibus privilegiis, protinus exemptæ *Rec. Imp. de ann. 1594. §. Demnach sollen ic.* Potest etiam Dominus trudente necessitate, dominium directum, invito vasallo, alienare, eumque hâc ratione novo domino subjicere *Struv. Synt. feudat. cap. 13. aph. 1. ubi hoc in casu pacis impetrandæ exemplificat. add. Rosenthal de feud. cap. 9. conclus. 62. per tot.* Si quoque per latronum militumque vagantium excursionem nimiamque oppressi-
nem, salus Principis & provinciæ periclitetur, Princeps vi-
gore hujus domini, vasallis imponere potest, ut vias publi-
cas custodiant, *Das sie die Strassen bereiten müssen.*
Fritsch: tract. de reg: viar: public: Tur: cap. 13. n. 9. ubi ratio-
nem subjicit. Extra hunc casum verò, aliud obtinere, pro-
bat *Struv: dict. syntagm, cap. 11. n. 13.* Nec hoc negligendum,

dum, quod vasallo feloniam committente, etiam liberis ipsius feudum adimere, possit dominus 2. F. 31. ita ut ipsis jus revocandi in totum sit ademptum. Quod nullum habet dubium, quando crimen notabile seu jure notatum à vasallo admissum. Aliud verò circa alienationem à patre cum consensu domini factam, obtinere, communiter tradunt Interpp: tali casu jus revocandi, filio integrum manere asserentes *vid.* Finckelthaus. *disp. feudal: 10. quest. 3.* quod quamvis displiceat Struvio *cap. 13. aph. 16. n. 6.* eandem rationem *alienationis*, quàm delicti esse asserenti, tamen verissimum merito censetur, cum textus in 2. F. 45. filio saltem injungat, ut paternam hereditatem cum feudo retineat, haud verò, ut etiam illicitam ejus alienationem rati habeat.

XIX.

An Publico? **R**estat in complementum, *juris etiam publici* auctoritatem attexere. Hæc autem firmatur tum *textu*, tum *exemplis*. *Textus* occurrit in Aurea bulla *tit. 16. circ. fin:* ubi expressè dicitur, quod quamvis nonnulli cives ac subditi, jugum ordinariæ subjectionis abjicere, & in alias civitates se conferre moliantur, tamen dominus jura sua circa personas & bona istorum deferentium illabata & salva retineat. Ex quo rectè elicit Bechmann. *ibid. in comment:* quod Rex seu Princeps dominium habeat in personas & bona subditorum. *Exemplum* occurrit in *R. Imp. de ann: 1654. §. 173. & seqq.* ubi dispositum, quod debitoribus prorsus depauperatis, omnes omninò usuræ, ex præterito belli tempore residuæ, usque ad tempus dicti recessus conditi, salvâ sorte, remitti, si verò debitores aliquatenus solvendo sint, hi quartam usurarum partem solvere debeant. Referunt quoque huc ditiones, quæ Regi Sueciæ bello tricesimali, victori, pro pace Ger-

Germaniæ restituenda, concessæ, qua de re fusius agitur
art. 10. Instrum. pac. Casar. Suecic. Movet quidem dubi-
 um Strauch: *dissert. Jur. publ. 4. the: 18.* quod liberorum ho-
 minum non sit commercium. Verum ipse cum Grotio re-
 spondet, non tam homines in ditione degentes, quam poti-
 us jus imperandi alienari, ubi plura hanc in rem cumulat.
 Quò & pertinet, quod ob rationem status, sive Imperii sta-
 tum, conditionem atque conservationem, à juris publici or-
 dinarii regulis & fundamentis recedi possit, ceu tradit Ger-
 hard: *Jur. pub. controuv. hex. I. quest. 21.*

XX

Quod de æquitate consignatum legitur, sub ejus prætex-
 tu, sapius perniciosè errari. *l. si. servum. 91. §. 3. d. v. o.*
 id ipsum de necessitate & utilitate quoque videntur efferre
 illi, qui dominium hoc omni jure fundatum, iniquitatis ar-
 guunt, & pro tegumento violentiæ venditant, quin & duri-
 oribus terminis dilacerant, uti videre est apud Carolum Ta-
 piam *de constit. Princip. cap. 1. n. 77. & seqq.* & plures alios,
 quos magno catalogo citat: Dan. Otto *de jur. publ. cap. 8.*
 Neque desunt argumenta, quibus dogma tale, fulciri posse
 videbatur. Constat enim factum Civis Romani liberi, co-
 gi haud posse *l. Titius. 71. §. 2. de condit. & demonstr.* Illud
 demum rectè fieri, quod licite & honeste fieri possit. *l. nepos.*
125. de V. S. distinctis rerum dominiis, nobis sine facto nostro,
 auferendum non esse, quod nostrum est. *l. id quod nostrum.*
11. de R. I. cap. ab eo. 31. de Elect. in 6to. in omnibus & maxi-
 mè in jure, æquitatem spectari debere. *l. in omnibus. 90. de R. I.*
 per alterum alteri, non esse iniquam conditionem inferendā,
l. non debet. 74. eod. & deniq; salutis publicæ peccando cōsulti
 haud debere, cum tali modo facere, sit nō rectè facere, ceu ait

An hoc do-
 minium
 fundatum in
 æquitate?

Au-



Augustinus in can. *faciat homo*. 15. *caus.* 22. *quest.* 2. Et mala admittenda non sint, ut inde sequantur bona can. *forte*. 3. *caus.* 14. *quest.* 5. Quod Imp. Justinianus in Nov. 89. *princ.* & *cap.* 7. ita exprimit, *diffugiendum esse, quod malum, munien-*
dum verò undique, quod melius.

XVI.

Cur affirmitur?

Sed hæc tanti non sunt, ut in viscera hujus præminentia penetrare, nedum ea turbare possint. Quæ in antecessum *th.* 16. instar propugnaculi adduximus, ea nunc paulò distinctius, pro eliminandis dubiis, in medium producimus. Ex mente Labeonis Ulpianus *æquitatem* dispelcit in *naturalem & civilem l. si dolo malo. 1. § 1. si. is. , qui testam. lib. esse. jussus &c.* ita ut per illam rationes à natura mentibus nostris impressæ, detegantur, nec nõ justis ac honestis ductus, à quo vis facile perspiciantur. Per hæc verò naturalia principia, ex præceptis civilibus, pro ratione circumstantiarum, temperentur & emendentur. Quod idem Ulpianus in *l. jus Civile 6. de 1. & 1.* ita exprimit, ut jus Civile, jure naturali quandoque aliquid detrahat. Tametsi enim præcepta naturalia sint immutabilia *§. pen. Inst. de 1. N. G. & C.* & eapropter nullam emendationem admittant, neque ratio civilis, jura naturalia corrumpere possit *l. eas obligationes. 8. de cap. minut.* præterea illud emendetur, quod imperfectum apparet, jus autem naturale adeò perfectum sit, ut omnes sanctitatis & honestatis fontes, plenissimè aperiat: accuratè tamen notandum, quod dictamen naturæ *theticè* consideratum, omnimodà certitudine & perfectione constet, *hypotheticè* verò acceptum h. e. ratione usus & applicationis, aliquid imperfectionis patiat, eo quod generaliter nimis sit formatum, & si in generalitate illa omnibus indifferenter casibus

sibus

sibus applicetur, magis ad iniquitatem, quàm justitiam declinet, & capropter æquitatis beneficio ad veram rectitudinem reduci debeat. Quia verò rectitudo ea non omnibus æque est perspecta, sed à veteribus prudentibus exacto judicio, pro conservatione societatis civilis, intimata, hinc vocatur æquitas civilis. Exemplum inter multa alia in deposito, non secundum naturalem æquitatem, depositario reddendo, verùm juxta civilem in fiscum deferendo, si ille capitis damnatus, & bona ejus publicata sunt, elucescit in *l. bona fides. 31. princ. depos. add. l. ut unius. 1. C. ad L. lul. repetund. l. divus. 6. in fin. de custod. & exhib. reror.* Dicitur itaque *civilis* æquitas, non privativè, seu quod naturalem æquitatem tollat, eique contraria sit, verùm *explicativè*, quatenus planum reddit, quod principium quidem naturæ in se salvum manere, in multis tamen casibus, exigente necessitate, & utilitate, officium perdere, & effectu destitui debeat. Quo sensu etiam accipiendum, quod Paulus & Julianus in *l. quod verò. 14. & seqq. de legib.* inveniunt, multa contra rationem *scil. naturalem*, ob utilitatem esse introducta.

XXII.

VEL itaque suâ inde liquet sponte, per legitimam domini nostri usurpationem, factum Civis Romani, non *meram & absolutam violentiam*, sed *bono publico subnixam, & legibus convenientem* coactionem pati, nihil inde contra honestatem & pietatem fieri, subditis & aliis, suum, facto legis, certè justioris auferri, dum quidem unicuique suum servari, nec adimi æquum, at verò alii legi superiori & potentiori obediri magis congruum, ut tranquillitas publica, quippe quâ in periculum

Quomodo negantibus respondeatur?

C

con-



conjecta, facile privati bonis suis excidere possint, vel saltem earum ablationem timere necesse habeant, exactè custodiatur & procuretur. Similiter æquitas quidem *naturalis* est spectanda, *civilis* verò præferenda, si illius angustia omnibus casibus subinde occurrentibus, justam ac sufficientem medelam ponere, & quod publice utile est, salvare non possit, quin potius eidem magis adversetur; Super illatâ iniquitate conqueri nequit, qui aliquid pro conservanda republica, cui omnes nati sumus *l. sicuti. l. §. 15. de vent. in possess. mittend.* impendit, & cui præterea justa & æquivalens eo nomine præstatur compensatio *§. ult. Inst. de his, qui sui vel alien. jur. sunt.* Longè denique abest, quod interventu mali, & modo illicito ad salvationem reip. deveniatur, cum malum potius sollicitè caveatur, si bonum publicum, privatorum commodis anteponatur. *Nov. 37. cap. 1. vers. sancimus.* Et ergò hinc justa exsurgit pro theoria, quod tale dominium, æquitati haud contrarietur, quin potius ab eadem dictis modis explicata, robur atque firmamentum nanciscatur.

XXIII.

Quid Dominium juris dictionis efficiat.

PROfluit hoc dominium à summa potestate, tanquam effectus à causa *productiva*. Et proinde pro diversitate rerum publicarum, omnibus competit, penes quos summa potestas residet. Quod verò Imperium Romanum in specie attinet, considerari illud potest vel *collectivè*, vel *distributivè*, si *collectivè*, dubio procul præ eminentia ejusdem Imperatori, Electoribus, & omnibus Imperii statibus, simul competit, quando forte de certo Imperii districtu, civitate vel loco alienando & cedendo agitur, cum omnium Imperii Procerum consensus præcisè sit necessarius, quo.

quoties negotia Comititalia aliave Imperium concernen-
 tia occurrunt, eò quod hi ex legum publicarum præscri-
 pto, in partem curarum sint recepti, votisque suis causas
 communes decidere debeant, add. Goldast. *politic. Imperial.*
part. 15. Si verò *distributivè*, rectè asseritur, quemlibet Im-
 perii statum in suo territorio, sublimi hoc diademate gau-
 dere, ejusquè virtute de personis, bonis & patrimonio suo-
 rum subditorum, juxta necessitatis & utilitatis publicæ
 mensuram, plenissimè statuere posse, tum quod territoris
 suis excelso superioritatis jure, & jure quodam *ἀντοχγαλογίας*
 ut loquitur Struv. *Syntag. civil. exercit. 2. th. 10.* præsent,
 tum quod tantum possint in suis territoriis, quantum Im-
 perator in toto Imperio Eyben. *special. dissert. de hoc pro-*
blemate edito Bechmann. exerc. 8. ad A. B. n. 28. & seqq.
 Carpzov. *de L. R. cap. 2. sect. 12. per tot.* Rumelin. *ad A.*
B. part. 2. diff. 5. coll. 4. ubi Myler. in not.

XXIV.

AMbitus hujus domini sese latè extendit. Et quidem Quousq; se
extendat?
 tum ad bona, tum ad *personas*. Ad bona, tum *in specie*
sic dicta, tum *actiones*. Ad bona, tum *subditorum*, tum *ex-*
teriorum, & illa vicissim vel *acquirenda* vel *acquisita*. *Ac-*
quirenda itidem considerari possunt, tum *affirmativè*, tum
negativè. *Affirmativè*, quatenus Princeps subditis ex justa
 causa acquisitionem imperare potest. Tametsi enim nemo
 invitus ad emendum compelli possit *l. invitum. II. C. de con-*
trah. empt. id tamen tum ad privatos, tum ad magistratus,
 qui neminem concutere & sibi concreditos, ad superflua,
 quæ forte habent, frumenta, aliave coemenda, adigere non
 debent, duntaxat pertinet, cum primis si frumenta sint
 forte deteriora, & commodum emtorem haud inveniant.

C 2

Qua

Qua in parte, si sub metu officii, damnum ipsis esse illatum, querantur subditi, æquū foret, ut amissione pretii vel alia ratione pro admissi modo coerceantur *l. per impressionem. m. C. de his, qua vi metusve caus. l. unic. §. 2. C. de contr. act. judic. l. qui officii. 62. de contrab. empt.* Ad superiores verò vel minime extendendum, quippe quorum sollicitâ & tempestivâ provisione, effici potest, ut subditi per coemptionē frumentorū, aliarumve rerum necessariarū imminenti caritati obviāre, seq; ab inopia liberare cogantur Köppen: *decis. 59. n. 3. & 8* adeò, ut fiscus granū colligere, & si superfit, subditos compellere possit, ut illud emant Cardinal. Tusch *lit. F. conclus. 79. n. 9.* Quod & verum, si frumenta recondita, vetustate corrumpantur & nova substituenda, vel saltem miscenda sint *l. omnia. 1. C. de condit. in publ. horreis.* ubi rectè addit Brunnemann, mixturam illam in Fisco specialem, mercatoribus verò aliisve negotiatoribus, permissam haud esse. Sicut enim liberorum procreatio respicit utilitatem publicam *l. dotium. 1. solut. in arrim. l. hoc modo. 64. de condit. & demonstr.* ita etiam conservatio, cum sine hac, reip. nihil prodesse, Romulæ, *de prohib. alien. extra famil. n. 134.* Et depellendæ famis causâ, multa exorbitantia subinde permitti solent, cum fames juxta Livium, ultimum humanorum sit supplicium, & hujus necessitas bellum & pestem superet Cardinal. Tusch *lit. F. diet. loc. n. 14.* Quam ob causam etiam Monopolia, alioquin prorsus prohibita, *l. unic. C. de monopol. licitè permittuntur*, nec non subditi ad coëmendos panes cerevisiam aut salem, ex locis ad id publicè constitutis, sive mercantiis, adigi possunt, Carpzov: *part. 1. decis. 4. n. 18.* Nec minus subditis rectè imponitur, ut armis pro defensione reip. sese instruant, cum armorum usus, tali casu & utilis, & summe necessarius sit *l. re. cte. 1. C. und, vi eò magis*, quo
arma

arma armis repellere, & proinde hostem multò magis arcere, liceat *l. Prator. 1. §. 27. de vi & armat.* Quem in finem etiam salubriter constituuntur disciplinae militaris magistri, qui promptum armorum usum monstrare, & exercitandis populis, operam cum dexteritate, impendere valeant. Cujus rei inter alias quoquè, gloriosissimæ memoriæ Principem Mauritium, Hassiæ Landgravium, magnam habuisse curam, commemorat Attalarius Egenolph, *discurs. pro sacra Imper. Roman. Majestate apud Goldastum part. 15.* ubi ita ait: *Cattorum Principis Mauritiæ sapiens institutum laudo, singulis in pagis suis ac urbibus, uti famam accepimus, nomophylaces ac censes Romanorum more designantis, ut sint præfecti morum honestæque disciplina, ac civilis conversationis custodes, quorum munus, quæ cuique sit conditio, unde vivat, quæque artis mechanica professio, respectum habere odio torpentium desidiam notare, & ut in arte aliqua ponant operam, hortatores esse, ad arma idoneorum delectum habere, ad concursum informare, & instar verae pugnae, quomodo casum vel punctum feriendum sit, doctrinam habere.*

XXV.

Negativè, quatenus coemptio diversarum rerum, à superiore, pro exigentia causæ, rectè interdicitur, tumque vel simpliciter, vel secundum quid. Simpliciter, quando merces Exoticæ, & cum primis illæ, quæ ad luxuriam invitant, & populum nummis emungunt, importari & emi vetantur, ut Belgas fecisse, ex Julio Cæsare, refert Fritsch. *de regal. nundin. jur. cap. 6. §. 6. n. 24.* Non infrequens etiam est, ut res, quibus unum vel alterum territorium abundat, non debeant, in aliis territoriis coemi,

Quatenus circa hæc veteret, vel simpliciter?

aut venales in illa deportari, sub poena confiscationis, uti in sale ferro & similibus contingit, ne propria aliquin mercimonia diminuantur, & inde damnum respublica persentiscat. Idem obtinet in mercibus vetitis in den wahren so contrebände genant werden; quæ autem harum appellatione veniant, ex Marquardo recenset Stryck. *citat. dissert. cap. 2. n. 104.* Et ut hæc omnia tantò magis observentur, sollicitè superiores provident ac disponunt, ut subditi non saltem à comparatione mercium exterarum & vetitarum abstineant, verum etiam per eos, quibus negotiari volupe est, omnia necessaria in ipso territorio præparentur, & veni exponantur: Quo spectant ea, quæ appositè scripsit Illustris Dn. de Seckendorff. *teutscher Fürsten. Staat part. 2. cap. 8. n. 10. pag. 213. his verbis:* Und ist ins gemein in der aufsicht über handel und wandel dahin zu trachten / daß sich die Unterthanen / so viel möglich / für frembden Wahren zu ihren Kleidungen / speissen und andern notthurfft hüten / & paulo post - Und soll vielmehr durch Besförderung der Handthierung dahin gearbeitet werden / daß allerhand notthurfft in Landen selbst gezeuget und bereitet / und also die Mittel darinnen behalten / oder nur zu nöthigen außwüridischen Dingen angewendet werden.

XXVI.

Vel certo respectu?

Secundum quid verò, quando ad certas personas coemptionis denegatio restringitur, tumque vel *omnimodò*, vel cum *certa limitatione*. *Omnimodò* Nobiles merces coemere, & mercaturam, tam per se, quam per alios, exercere prohibentur *l. nobiliores. 3. C. de commerciis & mercat.* Quod tamen non nisi de sordida & quæstuosa, haud verò de *œconomi*



nomica, exaudiendum esse, vel ipse tenor rescripti comprobatur. Ut enim negotiari res indifferens sit *can. quoniam 12. distinct. 88.* non tamen est è re reip. ut nobiles opibus & potentiâ commerciorum utilitatem ad se trahant, & hoc modo plebejos & infirmos, negotiatores opprimant Marquard: *de jur. mercat. cap. 7. n. 72.* Pariter nonnullorum locorum statutis nobiles à prædiorum rusticorum comparatione prohibentur, ne onera iis inhærentia, in detrimentum superioris, & perniciem cæterorum paganorum, à se amoliantur. Idque etiam in Monasteriis, justâ interpretatione & extensione, locum invenire, notat Brunnemann: *ad l. 14. de LL. n. 4.* An verò per mercaturâ nobilitas amittatur? inter interpretes controverso solet, nonnullis in affirmativam sententiam inclinantibus, uti videre est apud Nolden. *de stat. Nobilium cap. 22. n. 93.* & alios, quos cumulat Knipschild: *tract. de Nob. lib. 1. cap. 13. n. 132.* aliis verò in negativam, quarum numerum auget quoque Mauritius *dissert. de Nobilit. imprimis Germanica th. 62.* additâ ratione, quod mercaturæ exercitium, nec divina, nec naturæ, nec gentium lex, nobilibus prohibeat, & proinde tantum absit, ut eâ amitti nobilitatem velit: Distinctionem verò eâ in re servare fatagit Hanau. *de Nobilitate quæst. 189. ubi in fin.* illud de nobilitatis ademptione, quæ penes leges est, concedit, negat verò de privatione, quæ decreto Principis contingit, quia hæc possessioni saltem nobilitatis politicæ repugnet. Sane si legibus vel statutis ea in re quicquam cautum reperiatur, uti tum in Germania, tum in Gallia eorum vestigia occurrere probat Mauritius *dict. loc.* res omni caret dubitatione. Cæteroquin ejusmodi dispositione cessante negativam sententiam, tanquam veriorem & firmiorem magis amplectimur. Quæ de nobilibus dicta, extendunt Dd: etiam ad studiosos,
 ut &



ut & illi à mercatura antea tacta abstinere debeant, uti tradit
 Brunnemann. *ad l. unic. C. negotiat. ne milit.* Certa limitatio
 respicit, tum divites, ne ultra quantitatem & mensuram pub-
 licè determinatam frumenta aliave necessaria cœmant, tum
 opifices, veluti pistorum, ut à cœmptione grani, usque ad cer-
 tam horam abstineant, quò tenuioris fortunæ homines, &
 interea etiam alii, necessitatibus suis consulere possint. Carp-
 zov. *diēt. part. 1. decis. 4. n. 18.* Illud saltem commemoran-
 dum, quod Kornmann: *respons. de Iudæis* inter alias condi-
 tiones, sub quibus Judæi recipi possint, & illam recenset,
 Daß sie kein proper Güther kauffen/ noch haben sollen.
 Quain re, quid cujusque loci statutis & consuetudine rece-
 ptum sit, inspici conveniens est. *add. Sprenger, Instit. jur.*
publ. lib. 2. cap. 15. pag. n. 232.

XXVII.

Quid subdi-
 ti circa ac-
 quisita face-
 re debeant,
 tum com-
 mittendo?

QUANTUM *ad acquisita*, præceptum superioris, itidem est,
 vel *affirmativum*, vel *negativum*. *Affirmativum sive*
positivum est, quando præcipitur, ut suburbia civitatis, aut æ-
 des vicinæ, ne ceu commoda receptacula hostibus cedant,
 diruantur, nec non fundi, propè urbem, vel ad dilatandas
 fossas, aut pomoeria civitatis, vel propugnacula extruenda
 sive munienda, occupentur, aut etiam ad eundem finem,
 materia, lapides & ligna, inde sumantur, si aliunde non sup-
 petant porrò ut cujuslibet reditus frumentarius, vel ob im-
 minentem famem aut instructionem cœmmeatus, exactè
 describatur, vel etiam vendatur. Beyer *de recept. tam pers.*
quam rerum part. 3. §. 37. n. 334. ubi providentiam Lubecen-
 sium commendat. aut etiam ut subditi de patrimonio
 suo quicquam detrahant, quo pecunia inde redacta locuple-
 tando ærario, impendatur, ulterius, ut propter singularem
 civi-

civitatis utilitatem, ei prædium, aut Ecclesiæ coemeterium, aut vicinis servitus viæ, vel etiam egenis, urgente fame, frumentum vendi debeat *l. civitatum. 2. C. ut nem: lic: in empt. spec. se excus. l. omnem. 42. §. 10. l. Sanctissimarum. 44. §. 1. C. de Episc. & Cleric: l. ult. princ. si servit: vindic. Mart. Neapolit. tit. 4. de servit: c. 23.*

XXVIII.

Negativum est, cum hostibus, vina, olea, liquamina, & alia *relata in l. ad barbaricum. 1. C. que res export. non deb. & l. cotem. 11. de publ. vendi prohibentur Brunnemann. ad l. 1. C. dict. tit.* ubi extendit ad farinam ob identitatis rationem, additque in aliis contractibus, tum lucrativis, tum onerosis, idem obtinere, quod de venditione ibidem statuitur. Armarum tamen venditione *in l. nemo. 2. C. eod.* prohibita, vaginarum distractionem, non censi prohibitam, existimat Stryck. *cit. diff. cap. 2. n. 103.* eò quod unum sine altero esse possit. Nobis per consequentiam idem hic statuere placet, tum quod per vaginas, hostis ad arma portanda & perniciosis usibus applicanda, reddatur instructior, tum quod alterum sine altero esse possit, inspectâ *materia*, sed non *usu*, denique, quod in jure nonnunquam per consequentiam efficiatur malum, & prohibitum, quod aliàs in se extra reprehensionem est *arg. l. utputa. 2. §. 2. de condiçt. ob turp. vel inj. caus.* Et quamvis arma res sint, quæ in bello tantum usum habent, ut loquitur Hugo Grotius *de I. P. & B. lib. 3, n. 5.* haudquaquam autem vaginæ ad depugnandum quicquam faciant, tamen quia non nisi propter arma parantur, & vix hisce, sine vaginis, ut licet, meritò in utrisque idem juris erit.

Tum omittendo?

XXIX.

Succedunt bona *exteriorum*, in territorio ejus, qui hoc dominium usurpat, forte deprehensorum, talia enim ob necessi-

An dominiū hoc etiam ad bona exteriorum sese extendat?

cessitatis telum, vel utilitatis publicæ suffragium, itidem huic domino subjacent & in levamentum sumi ac apprehendi possunt, tum *per text: expressum in l. heres absens. 19. §. 2. de judic:* tum quod & hi certo respectu subditi dicantur, eò quod tutelæ domini, sese comittentes, tacitè in ejus jura consentiant, & non rarò commercia ibidem exercent, eaque de causa, pro commodis inde convenientibus, etiam onera ferre teneantur *l. secundum. 10. de R. I.* Unde nihil dubii, quod civitati obsessæ, per pulverem pyrium subvenire debeant *Stryck: dict. diss. cap. 2. n. 41.* quodque naves intra confinia deprehensæ, pro transferenda annona, aut militibus in certum quædam locum deferendis, detineri possint, *Stryck. d. l. n. 110.* dummodò aliter sibi consulere nequeat superior, & præterea damnum navibus, ex detentione obveniens, refundat *arg. l. inter causas. 26. §. 7. mandat.* Quod haud dubiè locum invenit, in damno proximo, seu ex ipso navis usu, proveniente *l. si servus communis. 61. §. 2. de furt:* Alia est ratio remoti, seu merè fortuiti, quod nulli præstationi est obnoxium *dict. l. 26. §. 6. mandat. l. contractus. 23. de R. I.* Quanquam & hic aliquam refusionem fieri debere, æquitati magis conveniens videtur: Idque ob rationem, quam Africanus in *cit. l. 61. §. 2.* his verbis inculcat, & ita applicari potest: *Iustissimè enim eum, cujus naves detinentur, allegare, non fuisse se id damnum passurum, si eam detentionem non Justinuisset.* Addatur *Lauterbach. ad tit. mandat: §. 3. n. 4. vers: quamvis æquum reputetur. &c.*

XXX.

Quid dicendum de iis, qui tempore occupationis in urbe forte degunt?

NOtabiliter, quæ de exteris dicta, extenduntur etiam ad ad casum, quo exteri in civitate ab hoste occupata, degunt, hæcque certam pecuniæ summam, pro redimenda spoliati.

liatione & exustione, solvere compulsa, ut à Succis, cum in anno 1641. Lipsiam occuparent, factum esse, historiae comprobant, tum enim exteri quoque ratam partem contribuere tenentur, eò quod personas & merces suas simul salvaverint, & deprædationis exitium, aliasve calamitates, declinauerint, **Sie können ihre eigene Personen oder daselbst habende Wahren zu ranzioniren mit recht angehalten werden.** Quam ob causam, Lipsienses, bona exterorum, qui tum temporis, ibi commorati sunt, ex urbe dimittere, rectè recusarunt, usque dum rata ipsis fuerit exsoluta, qua re de latè agit, insimulque dubia resolvit Beyer: *dict. tract. de recept. person. & rer. part. 3. §. 43. n. 416. & mult. seqq.* Ea porrò, in exteros sive forenses sese diffundit potestas, ut si præstatio, non subjectionem, sed solam habitationem concernat, hi etiam metatorum oneri sese submittere, & ratione ædium, quas inhabitant, præbere hospitium obstringantur Tabor *de metat. part. 2. cap. 3. n. 15.* Imò quia salus & utilitas reip. efficit, ut etiam par in parem imperium habere dicatur Cardinal: Tusch. *lit. P. concl. 89.* nil utique mirum, quod etiam status contra statum, quandoque jure metatorio uti possit, ut probat Tabor *dict. part. 1. cap. 6. n. 15.* Monemus & illud, quid sicut Princeps virtute regalium, in territorio suo navigationem, aut limitare aut interdicere potest Ziegler. *de jurib. flumin. public. pont. & pontonum. assert. 24.* ita etiam nil impediatur, quo minus virtute hujus domini, quosdam ex exteris prohibere possit, ne per flumina sua transeant, si id ipsum utile & necessarium existimet Ziegl: *dict. loc.*

XXXI.

Ampliatur laudata assertio, & quidem multò magis in his, qui certo saltem respectu, exterorum locum obtinent,

D 2

dum

Nec non de iis, qui certe ratione etiam aliis sub- sunt?

dum quidem domino territorii, vinculo homagii addicti, attamen aliis etiam ratione certi ejusdam juris, veluti collectandi, vogteix aut centenæ, sunt subjecti, ut non raro contingere, probat Knichen *de jur territor. cap. 4. n. 1. & seqq.* Si itaque Dominus territorialis tempore necessitatis, vel etiam intuitu utilitatis publicæ, dominium hoc exercere necesse habeat, dubium nullū, est, quin etiam hoc ad ejusmodi subditos, qui certa ratione, etiam aliis parent, extendere possit, tum quod dominus territorialis sit in universali possessione jurisdictionis, hujusque respectu omnes indifferenter ei sint subjecti, adeo ut hæc etiam in prædium tertii se extendat, quod in territorio ejus existit, Mingius *de superior: territor: cap. 4. §. 52.* tum quod in reliquis sive particularibus Dominis, merito obtineat regula, tantum præscriptum, quantum possessum *l. prator. ait. 1. §. 4. de itin. actuque privat: Mascard. de probat. concl: 14. n. 23. Richter cons. 242. n. 6. 1. & 2.* cum præscriptio sit odiosa, & alterum jure quæsito privet *Nov: 9.* eaque de causa nunquam præsumatur, Mascard: *concl. 12. n. 1.* sed semper probanda sit *cap. ex literis. 3. X. de probat.* tametsi fuerit temporis immemorialis, Vultejus *cons: Marp. 22. n. 13. vol. 1.* facit, quod causa limitata, limitatum producat effectum *l. in agris. 16. de acquir. rer. domin: l. si quam rem. 2. de peric. & comm. rei vendit: et effectus virtutem suæ causæ egredi non possit, Wesenb: consil. 39. n. 6.*

XXXII.

Quid obtineat in actionibus, tum acquirendis, tum acquisitis?

TRansimus ad *actiones*, quæ quamvis alioquin bonorum appellatione veniant *l. bonorum. 32. de V. S.* & rem habere videtur, qui actionem ad rem recuperandam habet, *l. is qui actionem. 15. de R. I.* tamen naturaliter & propriè à bonis differunt,

ferunt, & minus est, actionem habere, quàm rem ipsam, *l. minus est. 204. eod.* quod eleganter declarat Neldelius. *ad dict. l. 15. de R. I.* Spectant autem huc actiones, tum *acquirenda*, tum *acquisita*. *Acquirenda*, quatenus Civitates oppida & villæ, nec non divites & opulenti, urgente necessitate compelli possunt, ut Principi mutuo dent pecuniam, Vasq; *rom. l. de success. creat. §. 6. n. 22.* Gail. *lib. 2. obs. 5. n. 17.* Klock. *de contrib. cap. 17. n. 54.* ita tamen, ut mutuantes de sorte mutuo data, reddantur securi, & postea ea integra restituatur, si reditus Principis deinceps augeantur, non minus etiam consuetæ usuræ eo nomine præstentur, ut cum laudato Klock: novissimè quoque, pertinenter & benè monet Harprecht *consil. Tubing. 46. n. 19. & 20. vol. 3.* *Acquisita* stringunt, vel *alios*, vel *ipsum Principem*. *Alios*, puta quod si subditus quicumque habeat in creditis, tum dubium non est, quod etiam ea flagitante necessitate, in usus domini impendere teneatur, cum eadem sit ratio actionum, quæ bonorum *d. l. 32. de V. S. l. à divo Pio. 15. §. 2. de re judic:* bona autem tali casu dimittenda esse, jam satis dictum, sit. *Ipsam Principem*, puta quod contractus fuerit cum eo celebratus, tum enim hic ab eo liberatur, quando præsentaneum inde in rem publ. incommodum redundat, cum hoc avertere subditi in conscientia sint obstructi, & salus publica, etiam ipsas leges ceu iura publica vincat & superet Gail. *lib. 2. obs. 55. n. 4. & de pac. publ. cap. 5. n. 10.* Socinus *regul. 284. fall. 9.* multò magis ergo privata tollere & superare debeat *arg. l. 3. C. de primip.* Idem obtinet, in antecessoris contractu, Principem enim successorem ob eandem causam non stringit, tametsi hic iure hereditario successerit, *Vid. Reinking. de R. S. & Eccles. lib. 1. classe. 3. cap. 10. n. 29.* Eaque omnia ampliantur, quamvis contractus sive à Principe sive antecessore initus, mediante juramento firmatus fuerit, cum iura-

D 3

mentum

mentum, contra utilitatem publicam, præstitum, subsistere non possit Seraphinus de seraphinis *de privil. jurament. priv. 61. n. 13.* ubi Benenckendorff: latè in not:

XXXIII.

Quid in damno per bellum illato?
Quid in collecta ab hoste indicta?

REferunt huc etiam Interpp. quod Princeps jus subdito ratione damni per bellum illati, quæsitum, remittere valeat, si aliter pax publica obtineri haud potuerit Gail. *lib. 2. obs. 56. & 57.* Tabor. *Epitom. A. B. method. th. 43. EXO. in fin.* Pariter potest jubere superior, ut certa collecta ab hoste tempore invasionis & occupationis indicatur, eoque nomine, instrumentum obligationis eidem tradatur, quod si non fiat, tale instrumentum, tanquam illicite extortum, exceptione violentiæ postmodum, obtentâ pace enervari potest, Brunnemann: *ad l. 1. quod met. caus. Mevius part. 2. decis. 34. n. 4.* cum primis cum per instrumentum Pacis Cæsar: Svecic: obligationes, illicite extortæ, tollantur & cassentur *cap. 4. § 46.* Quod denique privilegia attinget, quamvis extraneis data, quin & subditis pro pretio, prorsus sint irrevocabilia, utpote quod utroque casu in contractum transiverint, tamen ob necessitatem & salutem publicam, vi hujus domini, recte revocari possunt, cum omnia privilegia intelligantur, *rebus sic stantibus*, & nisi potentior causa superveniat, quæ revocationem suadeat, imò quasi imperet, cujusmodi est salus reip: Menoch. *lib. 2. præsumpt. 10. n. 49.* Richter. *de signif: Adverb. voc. clementer.* Idque amplicatur, tametsi cum clausula irrevocabilitatis, fuerint concessa, cum omnes leges & utilitates privatæ, salutis publicæ, tanquam legi supremæ cedere debeant, & pereant quidem hac ratione privilegia sine culpa, attamen non sine causa, ut accurate & eleganter ingeminat Tabor *dict. Epit. ad A. B. th. 40. EXO.*

XXXIV.

XXXIV.

Opera *personis* impendenda restat. Circa has autem dispi-
ciendum existimamus, utrum *factum* earum *proprium*
subsit, an *alienum*. Et rursus an illud *illicitum* sit, an *lici-*
tum; Si *illicitum* puta si crimen admissum, dominium juris-
dictionis, vim suam, exerit in jure aggratiandi, quod facile
locum invenit in poenis contra leges positivas humanas ad-
missis, cum Princeps ejusmodi legibus sit superior, *l. Prin-*
ceps. 31. de LL. De poenis verò jure divino præstitutis, si
quærat, Dd: existimant, ob extremam necessitatem, &
quando exitus criminis, *cum magno reip. bono* est conjunctus,
veluti si per, concubitum cum tyranni uxore is *facilius è me-*
dio tolli possit, reum dimitti, eique poenam remitti posse, tum,
quod jure naturæ species poenæ non sit determinata, tum
quod melius sit, unum servari, quam multos periclitari,
tum denique quod jure etiam divino, poena adulterii sit ca-
pitalis, quæ tamen in plerisque locis sit facta pecuniaria,
uti has rationes adducit Stryck: *taud diss. cap. 2. n. 24. &*
seqq. Ut ut verò non negemus, multum extremitati & sa-
luti publicæ condonandum, facilius etiam sanctissimum
Numen, ejus intuitu indulgentiam concessurum esse, pror-
sus tamen irremissibiles esse poenas criminum statuimus,
quæ in ipsi Deum committuntur, veluti Sabbathi profanatio,
quæq; non in singulos, sed in ipsam naturam, cujusmodi est so-
domia, fiunt, cum nullus necessitatis & salutis prætextus, con-
tra sanctitatem Dei allegari possit, quinimo necessitas & salus
postulet, immensam illam sanctitatem non offendi, crimen verò
per justam poenam expiari. Pariter si natura ipsa, *quæ Æternum Je-*
hovam designat, & naturantis voce venit, offendatur, nihil est
in rerum natura, quod vel speciem ullius justæ excusationis
& re-

Quid circa
personas de-
linquentes
operetur hoc
dominium?

& remissionis habere possit: Cæteras poenas laxare quidem possunt necessitatis & salutis præsidia, dummodò remissio non in toto, sed in tanto fiat, sive relaxatio tantummodò præstetur. Ita notabiliter Lambertus Danæus *lib. 6. polit. Christian. cap. 3. de iudicio criminali.*

XXXV.

Quid circa
artis excel-
lentiam?

Vulgò singularem artis excellentiam, etiam poena capitali remittendæ, justam præbere ansam, *ex l. bestias. 31. de pæn.* concludi solet: Quod quamvis ex isto textu solidè haud probetur, ut benè notat Brunnemann: *ibid.* & Anton. Mathæ. *de criminib. lib. 48. tit. 18. cap. 5. n. 7.* tamen defenditur à Covarr. *lib. 2. resolut. cap. 9. n. 6.* & Clafenio *de jur. aggrat. cap. 14. n. 21.* ubi addit, sibi quandoque à viro fide digno relatum esse, in patria sua cœcum, ob historiam extremi iudicii, artificiosè in ligno ab ipso representatam, non capitali, sed mitiori affectū fuisse. *Addatur can. cum hoc sit in iudicio. 6. caus. 26. quest. 7.* Verū an talis excellētia, inter nervos necessitatis & utilitatis publicæ ad effectū poenæ lege morali præstitutæ, remittendæ, connumerari possit, utique dubitamus, & tali casu sine lege loqui erubescimus *Nov. 18. cap. 1.*

Quid circa
pœnas pecu-
narias?

Quantum ad pœnas pecuniarias, Princeps ob prælaudatas causas, remissionem indulgere potest, licet ea non ad fiscum, verum partem læsam spectaverit *arg. §. ult. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt.* Denique quod crimina à multitudine commissa, spectat, non omnes sceleratos, sed quosdam saltem ex iis, & cum primis de malitia & improbitate magis suspectos, neci aut exitio dandos esse, vel ipsa miserationis ratio svadere videtur, cum primis, si sceleris authores ignorantur. *Add. Carpzov prax. crim. lib. 3. quest. 10.* Et hæc quidem de facto *illicito.*

Quid circa
multitudi-
nem?

XXXVI.

Licitum hinc vocamus, non ex se, sed suppositâ salutis publicæ conservatione, & aversione periculi communis, quod alioquin patriæ imminabat. Hujus enim intuitu, atrocissima quoque criminis species, puta parricidii condonatur, veluti si pater filium vel vice versa filius patrem jugulaverit, in tantum, ut parricidam, etiam præmio afficiendum esse, ex majorum usu & observantia, comprobaverit Marcellus in l. majores. 35. de religios. dubio procul eâ de causa, quod pater perduellis & in exitium patriæ exæstuans, patris personam exuat, & tyranni induat, nihilque magis crudele reputetur, quam conjugem, prolem, cives, regem, & totam patriam delere velle. Assertum tamen hoc, ceu singulare, intra justos limites coarctandum, si scil. pater agmine hostili instructus, & jam in totale patriæ excidium, pleno ausu & impetu irrui. Alioquin si viribus & potentiâ, ad exequendum id, quod pessimo exemplo proposuit, destituatur, ob solû conatum & propositum occidi nequit, cû licet contemptor legum sit & impius, tamē pater sit, & maneat, ut dicitur in Nov. 12. cap. 2. in fin. Et hinc etiam est, quod pater bannitus à filio impunè trucidari haud possit, nisi quid cōtra remp. moliat, rectè asseverate Brunnem. ad dict. l. 35.

Quid circa factum suo sensu licitum?

XXXVII.

Alienum quod spectat factum, concernit illud potissimum faciem belli; Qua in parte occurrit, quod Princeps in fidem eorum, quæ inter belligerantes, agi coeperunt, possit è numero subditorum quosdam eligere, quos ceu obsides hosti tradat: add. l. obsides. 11. qui testam: fac. poss. l. Divus Commodus. 31. & l. sed si accepto. 32. de jur. fisc. Quod equidem nullum habet dubium. Quousque verò potestas

Quid circa alienum?

E

hæc

hæc, si fides non seruetur, sese extendat, & an etiam tali casu occidi possint? subinde in controversiam vocari solet: Existimat Becmann: *medit: polit. cap. 22. §. 6. sub fin.* traditionem obsidum eum in finem fieri, ut quodvis ab hoste expectent, si pacta non seruentur, adeoque etiam mortem ferre debeant, & quidem modo belligerandi jure gentium introducto, ita ferente & admittente: Aliis verò probabilius videtur, eos saltem libertatis jacturam ferre teneri, occidi verò tanquam innocentes haud posse, cui & Grotius *lib. 3. cap. 11. §. 18.* applaudit, & nos quoque subscribimus. Deinde notandum, quod si hostis tempore obsidionis, liberationis spem faciat, si modo certus quidam civis, ad occidendum, qui prorsus innocens, vel virgo quadam *ad exercendam cum ea libidinem*, ei tradatur, nulloque modo alio, exitium universale averti possit, in tam desperato rerum statu, traditionem ejusmodi fieri posse, Interpp: admittant, ita ut innocens sapius, sed frustra admonitus, ut ad hostem eat, huic tradi, vel si reluctetur, ad instantiam hostis trucidari valeat. Idque tum abinde, quod civis quilibet, mediante jurejurando civitati sit devinctus, pro ejus salute præstare omnia, quæ modò possit, à qua obligatione, propriæ vitæ amore, haudquaquam liberetur, tum etiam, quod in jure quoque naturæ, ratione eorum, quæ non sint intrinsecè mala, possit fieri dispensatio, ut factum sit in liberis Adam, ex quorum conjunctione, totum genus humanum primordia sua duxerit. Stryck: *dict. dissert. cap. 2. n. 19. & seqq.* Nobis magis pium videtur, à Sanctissimo potius Deo, tanquam omnium rerum moderatore, in extremis istis angustiis, medelam devotis precibus petere & expectare, quàm funestâ ejusmodi lanienâ, & inexcusabili prostitutione, liberationem quærere, idque ad exemplum Judithæ, quæ maxime exprobat Osæ, quod civitatem in manus hostis resigna-

signa-

signare constituerit, si Deus intra quinque dierum spatium
 ipsis haud succurreret *Judith. cap. 8 v. 9. & seqq.* Et sane nulla
 obligatio subditi, tam arcta fingi potest, ut innocenti suo san-
 guine, communis liberator existere debeat. Cum in mala mo-
 ralia, nulla libertas & arbitrium, competere possit, ut bene *Bec-*
m: dict. tract. c. 21. th. 10. in fin. Pro intrinsecè etiam malo re-
 putandum, quicquid modò naturali pudori ac æquitati adver-
 satur. Alia verò est ratio dictæ conjunctionis, de qua Deus di-
 spēsare potuit, quia à solo ejus præcepto ac jussu, hæc res uni-
 cè dependebat, prout probat eruditè *Ziegler de jur. dispēs. §. 38.*

XXXVIII.

Differentia nunc subintrat *specificæ*, quæ inter jurisdic-
 tionis dominiū, & reliqua majestatis jura intercedit. *Quam-*
vis enim pro singulari majestatis jure, habendum illud non
esse, existimet Becmann: parall. polit. cap. 21. §. 4. addens,
quod saltem sit modus quidam universalis, omnia majesta-
tis jura æquè pervagans, eò quod aliàs singularia etiam obje-
cta à cæteris distincta requirat, & quia in omnibus majestatis
jurium objectis, casus necessitatis sese offerat, tamen à ma-
jestatis juribus reapse, & causis tam internis, quàm externis
differt, cum si saltem instar modi sese haberet, etiam omni-
bus illis casibus, quibus reliqua jura exercentur, & hac rati-
one, etiam extra casum extremæ necessitatis, locum inve-
niret, cum modus rem ipsam & ejus effectum non tollat, sed
saltem limites ponat, qui juxta voluntatem ejus, à quo
præscriptus, observari debeant l. eas causas. 80. de condit. &
demonstrat. l. in legatis. l. C. de his, qua sub modo leg. & c.
 Accedit, quod sicut jus commune & singulare specie diffe-
 runt *l. jus singulare. 16. de LL.* ita etiam dicta jura, & præsens
 dominium à se invicem multis parafangis distent. Rectè
 quidem dicitur, omne dominium jurisdictionis, esse jus ma-

An domini-
 um jurisdic-
 tionis & re-
 galia sint u-
 num idem-
 que?

jestatis, sed vice versa non omne jus majestatis, est etiam do-
minium jurisdictionis.

XXXIX.

Quomodo
inter sese dif-
ferant?

Distinguitur itaque 1. *ratione causa efficiētis*, quod utrumq;
quidē penes eum, qui summa gaudet potestate, resideat,
attamen potestas hæc non æquè pariter sese explicet, eò quod
dominium Jurisdictionis, ejusque usum, solummodò ca-
sus urgentis necessitatis extremæ, & quo alioquin nullum
aliud eam sublevandi, & salutis ac securitati publicæ consu-
lendi, suppetit remedium, producat, eique exercendo an-
sam det, ut vel casus omnes modo delineati, exasse osten-
dunt. Econtra verò reliqua majestatis jura, ab inevitabili ne-
cessitatis telo non dependeant, sed tanquam ordinaria maje-
statem explicandi media, à superiore pro lubitu, etiam ad
splendorem exerceri possint, uti jus privilegia & immunita-
tes concedendi, palatia extruendi, civitatis jure donan-
di, venandi, & similia, satis superque ostendunt. Et licet
nonnulla etiam à necessitate dependere, negari non possit,
tamen *ordinaria*, ab *extrema & extraordinaria*, bene distin-
gui debet, uti hanc distinctionem Marpurgenses, in *cons.*
de contrib. apud Rövenstrunck: *quest. 2. n. 70.* observant,
ejusque vestigia elegantia occurrunt, in *can. generaliter. 40.*
vers. placet. caus. 16. quest. 1. ubi notabiliter dicitur, quod
Ecclesiæ necessitatibus publicis non subjaceant, sed saltem
ad eas adstrigantur, quas adventitiæ necessitatis farcina re-
pentina sive extraordinaria poposcerit. Adde *l. ult. C. de*
priv. domus August. ubi videtis Brunnemann. Et ergò ne-
cessitas *ordinaria*, ansa potest esse regalium seu reliquo-
rum majestatis jurium, alit verò *extraordinaria*, non nisi so-
lius domini jurisdictionis 2. *Ratione objecti.* Reliqua Si-
quidem

quidem jura, ita in bonis subditorum exercentur, ut usus
 eorum concedi *l. munerum. 18. §. 18 & 21. de muner. & ho-*
nor. l. 5. C. de metat. aut de iis, salva proprietate, aliquid
 præstari debeat, veluti tributa & contributiones *l. forma. 4.*
princ. & §. 1. de censib. l. ad inferiorum. 1. C. de apoch. publ. quæ
 proinde *materialiter* & ratione ejusmodi præstationis dicuntur
 onera rerum, licet *formaliter* sint onera personarum Mevi-
 us *part. 2. decis. 72. n. 14.* Ast verò per dominium juris-
 dictionis, ipsa proprietas à subditis abscedit, dum inviti res
 suas distrahere, & utilitati publicæ consecrare tenentur *§.*
ult. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt. Neque sine ratione,
 quia dominium in ipsam rei substantiam comparatum est,
 ut scitè loquitur Hahn. *ad wesenb. tit. de R. V. n. 3. verb.*
dominium acquisivit. At verò reliqua jura, duntaxat acci-
 dentia, veluti usum aut redditum, concernunt, ex quibus pro-
 inde diversitas objecti sponte sua inclarescit *3. Ratione formæ.*
 Etenim dominium jurisdictionis ita demum exercetur, ut
 pretium subditis, qui rei jacturam sustinere coacti, refunda-
 tur *dict. §. ult. ibi: ut pretium subditis daretur, cum in necessi-*
tatibus nemo liberalis existat. l. rem legatam. 18. de adim.
vel transfer. leg. & utilitas ita spectanda, ut sine incommodi-
tate alterius conferat. l. Servius. 3. §. 2. de rivis l. bona fides.
31. §. 1. de pos. Atque hoc etiam constitutione Danica cautū
 reperitur his verbis: *Was privat Personeu zugehöret*
und zu unseris kriegvolcks Nothdurfft gebrauchet wird/
solches wollen wir denselben zur genüge bezahlen las-
sen. uti hanc nominatim refert Beyer. *d. tr. de recept. part. 3.*
§. 37. n. 338. Pertinet huc quoque, quod vulgò dici solet, u-
 tilitatem publicam non debere claudicare, seu unum ditare,
 & alterū ad inopiā deducere *arg. l. si id quod. 7. in fin. de rescind.*
vend. Nec verò refusio hæc seu recompensatio judicanda pars
 benignitatis, & præmii, uti vult Stryck: *d. diss. cap. 2. n. 45* verū

debiti, ceu statuunt Boecler: *de domin. emin.* Becmann: *med. polit. cap. 21. n. 8.* cum satis sit, usibus publicis, rem à subdito devoveri, non verò conveniat aliquem duplici onere gravari *l. Titia. 34. §. 5. de leg. 2.* et nemo cogi possit, ad damnum pro alio subeundum Becman. *d. loc.* Facienda tamen, non à Principe, sed singulis civibus, quando horum utilitati tantū dimissio ab uno facta, profuit, ipsiq; à damno communiliberati sunt *arg. l. 1. & 2. de L. Rhod. de jact. 4. ratione finis.* dominium siquidem praesens respicit liberationem à praesentaneo periculo, quod alioquin ob necessitatem instantem, eamque duram & extremam, fuisset sustinendum. Ast verò hunc finem, in caeteris juribus cessare, per se satis evidens est, cum vel dignitatis apicem tueri, aut aliis commodis publicis consulere intendant Deniq; *5. ratione contrariorum,* per dictum enim dominium bona subditorum prorsus amittuntur, ut saepius monitum, e contra usus caeterorum jurium ad eorundem retentionem & conservationem est directus *l. forma. 4. §. 1. de censib.* ad conservationem autem quod inductum, amissionem, perditionem aut etiam imminutionem operari nequit *l. nulla. 25. de LL. Jason. in l. legato. n. 9. de legat. 1.*

XL.

Quis finis & effectus?

Quò tandem collimet dominium haecenus discussum, unusquisque nullo negotio deprehendit. Sicut enim extrema necessitas, omnibus rebus dominatur, vi proxima est, seque quasi formidabilem & insuperabilem reddit *can. ad limina. 7. caus. 30. quest. 1. l. vis autem. 2. quod met. caus. Tabor. Barb. loc. upl. lib. 12. cap. 5. axiom. 10.* adeò ut etiam Seneca *lib. de provid.* dixerit, quod Deos obliget, & Ethnicis persuasum fuerit, nec Deos necessitati resistere posse. Vid. Erasm.

Erasm. in Adag. ita etiam scopus tam præcelsi domini, in eo consistit, quo ductu certorum mediorem, horrido illo telo clabamur, multorum salus ab interitu tuta maneat, & patientia unius vel alterius, nec vis utilitatis publicæ custodiendis, auxiliatricem manum porrigat. Cum autem media illa, ut hactenus ostensum, aliter obtineri nequeant, quam si subditi bonis usibus publicis mancipare, & ita alienare adigantur, hinc Effectus ejusdem in eo positus est, ut superior reapse talia bona occupet, & illis usibus, quos necessitas imperat, applicet. Quibus consequens est, quod in casibus, quibus alias à superiori appellari potest, tamen appellatio protinus haud admittatur, quando ob extremam necessitatem, dominium hoc venit exercendum, tum quod Princeps ex causa rationabili, ejusmodi vel maxime necessitas est, appellationem prohibere possit *Mevius part. 3. decis. 187. n. 5. tum etiam, quod in causis celeritatem desiderantibus, & sine dilatione expediendis, ea haud admitti soleat. l. quisquis. 6. C. quor. appell. non recip. ubi Brunnem. Mevius dict. part. 3. decis. 405. n. 1. & 2.*

XLI.

Inter cognata recenseri, singula Principum Regalia, sive majora sive minora, nullum utiq; est dubium, quia subditi horum virtute, ob homagium, quo domino devincti, ea justè præstare compelluntur, quæ publicè utilia sunt *uti thes. 39. dicere antevertimus.* Quæ autem dominio huic adversentur, paucis dispicere, operæ pretium est. Et quidem *ratione cause efficientis* occurrit, quod *Dd. communiter cõcludant, superiorẽ nõ posse subditis extra casum necessitatis & utilitatis publicæ, jus ex contractu quæsitum, vel etiam partem patrimonii auferre, idque per sæpius allegatũ §. ult. Inst. de his qui sui l. alien: jur sunt l. nec avus. 4. C. de emanc. liber: Et hoc etiam non obscure probatur ex lib. 1. Samuel. Cap.*

Quæ affinitas

Quæ contraria?



cap. 8. v. 12. & seqq. & cap. 10. v. 25. si modo exactè scè-
 cernas jura, quæ nondum uncto Rege à Samuele proposita, &
 ea, quæ factà unctioe, ab eodem sunt annunciata. Illa
 siquidem non Regis, sed Tyranni mores innuunt, à quibus
 proinde populum ex Dei instinctu deterrere voluit. Hæc
 verò justum Regis officium commonstrant, & Sauli ad imi-
 tationem & observantiam inculcata sunt, ut ita doctè di-
 stinguat Bechmann. *ad A. B. prooe. n. 68.* Referendum huc
 & illud, quod quamvis universitati, communitati, villæ
 seu pago sit quandoque permillum, ad voluntariam sese col-
 lationem obstringere, eamque per modum conventionis
 imponere Brautlacht, *de I. Publ. lib. 6. cap. 2. §. 15. vide tamen*
Carpzov. I. F. part. 2. const. 6. def. 24. non tamen iisdem li-
 ceat de causis extremæ necessitatis & utilitatis statuere, & ob
 has uni vel alteri invito, distractionem certæ rei injungere,
 tū quod necessitas & utilitas enervet vim legis *cap. ult. X. de*
feriis, de legibus autem subditi dispensare non possint, ut-
 pote quibus firmissimè obstringuntur, tum etiam quod par
 in parem nullum habeat Imperium *l. nam magistratus. 4.*
de recept. arbitr. Quamvis hoc ipsum, quod in transitu no-
 tamus, fieri possit, quando de publica utilitate & salute tra-
 ctatur, vel periculum est in mora *Cardin. Tusch. lit. p.*
concl. 89. n. 32. Scacc. de Appell. quest. 2. n. 10. Invitum
 verò ob salutem publicam pari per arma subjici posse, dictum
supra th. 30.

XLII

Ratione materia, quod Gubernator ad loci custodiam
 constitutus, aut navali exercitui prepositus, possit qui-
 dem obligari, ut extrema ab hoste, quin & interitum expec-
 tet

tet non verò, ut sibi ipsi mortem v. gr. pulvere pyrio, accer-
 sat, & hoc modo sui ipsius proprecida existat. Aliud qui-
 dem nonnullis arridere, nos non latet, sed tamen ut inde di-
 vertamus, vel hoc solo movemur, quod talis obligatio,
 communem naturæ inclinationem tollat, ipsum jus naturæ
 turbet, & Deum, qui solus vitæ humanæ arbiter est, gravif-
 simè offendat, ac eapropter non possit non, esse prorsus
 irrita & inanis *l. filius. 15. de condit. instit.* Neque enim ullus
 mortalium de lege morali vel præcipiente vel vetante dispen-
 sare, & in ea, quæ solius Dei sunt, sibi potestatem arrogare
 potest *§. pen. Instit. de jure nat. gent. & civ.* Et cum nemo
 membrorum suorum sit dominus *l. liber homo. 13. princ. ad
 L. aquil.* quâ ratione in vitam & proprium corpus sævire po-
 terit? ut benè concludit & plura elegantia hanc in rem cu-
 mulat Reinoldus Küricke *tract. de jur. marit. Hanseat.
 quest. 29.* ubi etiam *q. 30.* investigat, utrum in certo peri-
 culo naufragii, vel extremæ famis, pro servanda maximâ
 navigantium parte, licitum sit, quosdam in mare abjicere?
 Quam ob causam, nec ob servitutis, aut ignominiosæ mortis
 periculum, neque ob jacturam pudoris & castitatis evitan-
 dam, ad proprecidium confugere licebit, sed potius ad auxi-
 lium divinum recurrendum, quod ex mediis quoq; & gravif-
 simis casibus miraculosè liberare potest, ceu monet Fritsch.
de prasid. necess. contr. leg. sect. 7. concl. 2. exempl. 2. Nota-
 bile dictum Regis Sveciæ, Gustavi Magni, ex Loccenio
 refert Beyer: *laud. tract. de recept. part. 2. §. 18. n. 130.* dum
 enim eo tempore certus quidem præfectus se & navim flam-
 mis tradidisset, dixisse fertur. *Erga me & Regnum, mas-
 culè & fideliter, erga se ipsum sceleratè egit.* In jure quidem
 civili, & nominatim in *l. sed si demum. 9. §. 7. de pecul.* legitur,
 quod servis liceat in corpus suum naturaliter sævire. Ast
 verò terminum *naturaliter* non de jure, sed de facto ibidem

F


acci-



accipi, apud omnes Interpp. in confesso est. Illud extra omnem dubitationis aleam positum est, quod præfectus fortalium sibi concreditum, in casu extremæ necessitatis, veluti urgentissimæ famis, ex tacita superioris licentia possit hosti obsidenti subjicere, adeò, ut si extra illum casum, nec non expressam domini permissionem simile attentet, capite plectatur, cum tertius casus non detur, dummodò se ipsum in ejusmodi necessitatem propriâ culpâ haud præcipitaverit, cum non necessitas ipsa, sed potius causa necessitatis spectetur Feltman: *resp. milit. 2. n. 36.* Potest tamen etiã Gubernator coerceri & puniri, quando munimentum non dimittit, cum illud diutius tueri non potuit, ceu itidem monet, cum citatis, Feltmann: *respons. milit. 1. n. 56.* *Ratione forma*, quod quandoque pretium pro re amissa haud sit refundendum, & quidem duobus potissimum casibus, *primò* si quis in loco periculoso inconsideratè & temerè ædificavit, cum ei qui proprio factò, sese in necessitatem conjecit, succurri haud soleat *l. si fidejussor. 7. §. 1. qui satisd. cog. Mevius part. 2. decis. 368. n. 4.* Deinde si reliqui cives ita mediis sint exhausti, ut damnum pro communi bono exantlatum rependere nequeant, ita ut tali casu refusio tamdiu differri debeat, usque dum ad pigriorem fortunam pervenerint *arg. l. qui bonis. 5. de cession. bonor. Ratione denique effectus*, quod alienatio tempore necessitatis injuncta, cessare debeat, si ipsa necessitas desinere incipiat, veluti quod hostis qualicunque ex causa, ab obsidione destiterit, cum causa necessitatis cessante & sublatâ, id ipsum tolli debeat, quod ejus intuitu dispositum & injunctum est. *cap. relinqui. 2. X. de custod. Eucharist. modo res adhuc sit integra, seu alienatio nondum fuerit in actum deducta, vel tamen facilè retractari possit, Decian: lib.*

2. resp. 41. n. 78. & seqq.

FINIS.



COROLLARIA.

I.

Fides hosti data servanda est.

II.

Mulier non tantum contra tacitam, sed etiam expressam anteriorum creditorum hypothecam, *ως τοπραξίας* beneficio, in repetitione dotis gaudet.

III.

Iudex secundum ea, quae allegantur & probantur in Iudicio, non secundum ea, quae scit ut privatus, Indicare debet.

IV.

Spurii non sunt infames.

V.

Cæcus Iudex dari potest.

VI.

Tutela Electoralis testamento deferri potest.

VII.

Cognitio super homicidio in confinio duorum territoriorum commisso, ad utrumque territoriorum Dominum spectat.

VIII.

Verum dotis dominium, constante matrimonio est penes solum maritum, penes uxorem verò, non nisi in spe.

F 2


Quis



Quis sis, non unde natus sis reputa.

*Hoc Livii dicto Generosum Dn. AUTHO-
REM magis magisque, ut virtute non
sanguine nitatur, nec hujus solius sed
& illius ductu atque beneficio ad hono-
ris apicem grassetur, gratulabundus ex-
citare voluit*

P R Æ S E S.



Ductu Virtutum crescunt fastigia rerum,
Crescit & his fulcris Nobilitatis apex.
Firmis stat meriti censu profapia signis,
Dum sua præstanti stamina mente locat.
Quin potius gemini splendoris gratia surgit,
Prompto si lateant ardua quæque sinu.
Cedit in elogium stirpis generosa Propago,
Genti quod Virtus sit sociata Tuæ.
Innumeræ dotes certæ vestigia famæ,
Te sublime Tui stemmatis esse decus.
Pollens vis animi, morum consortia rara,
Alta petens fervor, juris & artis amor.
Et bene gestarum laudata scientia rerum,
Eloquii grato copia magna sono.
Nunc ut transacto claudas conamina cursu,
Totus es excelso Juris in articulo.


Stre-

Strenuus in pugna, fias ut magnus in aula,
Fundit propensus vota salita favor.

*Decora gentis & mentis, nec non
Schemata manus Generosa
enixè suspicit*

JOH. DANIEL REYSER, D.

Conf. Hassiac. & Jud. Aul. Assessor.



Generosissimo ac Literatissimo DOMINO

CAROLO GUILIELMO

à MEYSENBOUG, Equiti Hassio,

*Eruditionis suæ singularis Specimen in Academia
nostra exhibenti, paucis his prolixè gra-
tulari voluit*

JOH. DANIEL DORSTENIUS,

Med. D. A. Medic. & Philos. Naturalis P. P.


Ingenio magnus, condigno corpore pul-
cher,

Linguis & studiis ter GUILIELME potens.
Eximium Generi decus affers, gaudia matri,

Atque viris doctis Principibusque places.

Hanc Deus in sano ut servet Tibi corpore
mentem,

Virtuti & tribuat præmia digna Deus.



Ad Generosum DN. AUCTOREM.

Postoratoris, post sacri munera vatis

Nunc specimen veri das GUILIEL-
ME. Sonhi.

Mendæ corrigendæ,

Pag.	Lin.	Mendæ	Correctiones.
5.	6.	25.	27.
6.	2.	th. 1.	th. 2.
Ead.	3.	cap. 4.	cap. 2.
8.	4.	conclus. 144 ^b	concl. 147. n. 19.
10.	3.	th. 10.	th. 17.
11.	18.	nec servis 4.	nec servis 1.
12.	23.	servis	terris.
13.	17.	respons. 7.	resp. 70. & 71.
15.	10.	quæst. 2.	quæst. 4.
18.	16.	Nov. 37.	Nov. 39.
19.	14.	n. 28.	n. 48.
Ead.	20.	cap. 2. sect. 12.	cap. 1. sect. 13. n. 10. & seqq.
20.	9. & 10.	Köppen, obl. 39. n. 358.	Köppen, obl. 16. n. 6. & seqq.
23.	6.	cap. 7.	lib. 1. cap. 10.
Ead.	15.	cap. 22.	cap. 17. n. 174.
24.	8.	n. 18.	n. 17.
25.	4.	§. 10.	§. 7.
Ead.	5.	l. ult.	l. pen.
Ead.	25.	lib. 3.	lib. 3. cap. 1.
26.	22.	§. 2.	§. 5.
18.	5.	§. 4.	§. 5.
Ead.	17.	r. & 2.	vol. 2.
Ead.	19.	12. n. 1.	1219. n. 3.
Ead.	29.	32.	49.
32.	29.	quæst. 10.	quæst. 149. & 150.






Marburg, Diss., 1698-1707

X 237 3079

W. A.







B.I.G.

Farbkarte #13

Pub. 1700

DISSERTATIO
De
SUPREMO JURISDI-
CTIONIS DOMINIO,
SPECIMINIS STUDIORUM
SUORUM ERGO
CONSCRIPTA

*1700, 1 a
7 //*

69

ET
Auxiliante DEO
PRÆSIDE
DN. JOHANNNE
GOEDDÆO, IC^{to},
Professore Juris Canonici, & Iudicii Au-
lici Assessore, Fautore suo plurimum
colendo,
Publico scrutinio exposita

A
CAROLO GUILLIELMO
de MEYSENBOUGK,
Equite Hassiaco.



Ad D. Octobr. 1700. H. L. S.
MARBURGI CATTORUM,
Typis hæred. JOHANNIS JODOCI KÜRSNERI, Academiae Typogr.

